

CONCIO III.

templo, in mensa, in lecto, etc. Ubique enim mali impugnant bonos, et certissima est apostoli sententia, II. Timoth. III. *Omnis qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Neque vero tolerare tantum debemus has persecutions, sed libenter tolerare adeoque gaudere in illis. Hoc enim sibi voluit Dominus, cum tribulationem et passionem calicem appellavit. Ut enim potius cum suavitate et appetitu bibitur, sic amplectandam voluit tribulationem, non ut tribulationem sed ut materiam gaudii: quam quidem ipse Christus desideravit et obviis ulnis amplexus est. Secuti sunt apostoli: inter alius Sanctus Jacobus, qui eum, a quo ductus ad tribunal fuit, ad fidem conversum et veniam petentem humanissime amplexus et deosculatus est ac dixit: *Pax tibi sit.* Denique, quotquot ad illam gloriam feliciter appulerunt, per multas tribulations eos devenerunt.

Ratio est, quam dat illustr. Bellarm. I. I. de ætern. fel. cap. IX. Cœlestis civitas aurum est mundum, simile vitro mundo: *Non intrabit in eam aliquod coquinatum aut abominationem faciens,* ut ait S. Joan. cap. XXI. Apoc. Jam vero tribulatio proprie fornax est, quæ purgare solet animas ab omni immunditia. Ut enim ignis coquit cibos crudos, purgat argentum, et probat aurum, sic etiam persecutio, si patienter toleretur, coquit peccatores, purgat imperfectos, probat perfectos: peccator est quasi caro cruda, quæ nisi rite coquatur, projicitur ad bestias, non comeditur ab hominibus. Est enim peccator malis humoribus plenus: concupiscentia carnis, quæ est luxuria: concupiscentia oculorum, quæ est avaritia: et superbia, quæ est ambitio. Sed si accedat fornax persecutionis, illo igne siccatur et coquitur, ut fiat idoneus, qui ad mensam Domini honorifice deferatur. Ingruente siquidem persecutione vel tribulatione gravi, obliscitur libidinum, lucrorum, ambitionum, incipitque omnino aliis esse, quam ante fuerat: ut cum fur incareretur, torquetur, condemnatur, vel cum quis in morbum vel paupertatem incidit. Homo vero justus sed imperfectus, quamvis non labatur in horrenda flagitia, tamquam amicus est carnis sua, sequitur voluptates, amat lucra, non abhorret a vanitatibus mundi. Itaque similis est argento scoria multam habenti admixtam. Sed si fornax magna persecutionis illum corripuerit, eamque is patienter tulerit, incipiet paulatim ab argento scoria separari: incipiet inquam intra se colligi, meditari quæ sursum sunt, abstinere a carnalibus desideriis; deinde: *Sobrie, juste et pie vivere in hoc sæculo, et expectare beatam illam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Denique, vir

perfectus in charitate, aurum est, sed probandus igne persecutionis, ne putetur ab aliis vel etiam a seipso aurichalcum esse non aurum: ubi enim ignem persecutionis patienter ferre conspicitur, non solum ab aliis cognoscitur esse qui est, sed ipse quoque erigitur in spem magnam, et secundum mercedem illam cœlestem expectat: *Tribulatio, inquit apostolus, patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.*

Quæ si bene perpendamus, grave nobis non erit aduri in hac fornace. Quid enim est hæc fornax respectu illius superne civitatis, in qua collocandi sumus? *Id quod in præsenti est momentaneum,* inquit apostolus. II. Cor. IV. *et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quid est hæc fornax respectu illius fornacis gehennalis? Fornax enim tribulationis suum habet refrigerium et brevi tempore durat: fornax autem inferni ad instar fornacis illius Babylon. Dan. III. succensa est nimis, cuius flamma effundebatur supra fornacem quadraginta novem cubitis. Cum enim numerus quinquagenerius, numerus sit remissionis, et flamma illa ad hunc numerum non pertingerit, quid aliud designavit quam æternum gehennæ incendium, quod ad nullam unquam pertinet remissionem?

IV. Laborandum et pugnandum. Hoc enim Christus docuit, Matth. XI. dicens: *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud,* q. d. cœlum instar castelli est munitissimi et altissimi, quod non nisi magnis conatibus expugnari et diripi potest: itaque scalæ primum asportandæ, et aggeres erigendi, postea muri scandendi et contra hostes ingressum impedientes dimicandum. Utrumque hoc aptissimis parabolis depinxit Dominus, Luc. XIV. de eo, qui vult turrim ædificare, et non habet ad perficiendum; et de rege, tui cogitat bellum gerere adversus alium regem, et non habet pares vires, ut cum spe victoriae possit illi occurtere. Utrumque enim præstare debet, qui regnum cœlorum expugnare cogitat: nam et turris ædificanda est, quæ pertingat ad cœlum, id est, merita comparanda, quæ vitam æternam promerentur, et simul pugnandum est cum hostibus plurimis et fortissimis, spiritibus videlicet immundis, qui toties viribus turris illius ædificationem impedit moluntur. Cujus rei figura præcessit in filiis Israel, qui cum Jerusalem a Chaldaëis dirutam atque eversam redificare vellent, et a gentibus vicinis bellantibus impedirentur, necesse habebant incredibili sollicitudine et labore una manu ædificare, altera præliari: ideo una manu faciebant opus et altare tenebant

IN FESTO SANCTI JACORI

gladium, II. Esdr. IV. Præivit nobis in utroque Christus, et in laboribus a juventute sua, et in prælio contra diabolum. Sicut apostoli, martyres et confessores, qui omnis generis machinas excogitarunt et applicarunt ad cœli expugnationem.

Ratio, cur pro cœlo laborandum et pugnandum sit est, quia ex Dei et hominum universali decreto: *Qui non laborat, non manducet: nec coronaabitur, nisi qui legitime certaverit,* ut ait apostolus, alioquin et imperfectum foret sanctorum gaudium, et si pro sua gloria nihil laborassent, nec fortiter pugnassent, cum potuissent. Quis enim nescit majoris esse gloria, si quis ob præclara gesta, et egregias virtutes et regiam dignitatem ascendet, quam si eamdem hæreditario jure acquirat? Unde Dominus, Luc. XXIV. monet, ut invitati ad nuptias non recumbamus primo loco, sed potius in novissimo: *Ut cum venerit, qui nos invitavit, dicens: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria,* inquit, *coram simul discubentibus.* Ita ergo si per humilitatem aliasque virtutes sessionem in cœlo honorificam consequamur, tunc erit nobis gloria. Itaque si in cœlo pulchram et magnificentem habere domum volumus magna nostra gloria, eam nobis ipsis bonis operibus extruamus, quomodo S. Deus dedit sutoriam exercens, cui, quod lucrum totius hebdomadis in sabbatis communicabat pauperibus, vidi quidam alios structores quosdam singulis sabbatis operari in extirpatione pulcherrimæ in cœlo domus, apud Greg. I. IV. dial. c. XXX. Si coronari volamus, legitime certemus contra nostra vitia, mundum, carnem, dæmonem.

Veniet aliquando tempus, cum apertissime videbimus nihil adhuc fuisse certaminis hujus laborem cum corona comparatum.

CONCIO IV.

MORS ALACRI ANIMO EXCIPIENDA.

I. Quia liberat a vinculis. — II. A periculis. — III. A miseriis. — IV. Transfert ad vitam meliorem. — V. Resurgere facit cum fœnore.

THEMA.

potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?
Matth. XX.

Colimus hoc die apostolum Jacobum, sanctum, optatissimum et vulgo nominatissimum, qui secum affert et quodammodo in manu gerit falcum illam messoriam, qua fruges in his partibus circa tempus istud demeti consueverunt. Verum præ-

ter istum video alium quemdam quasi a tergo stantem (Apoc. XIV.) similem Filio hominis, qui et ipse in manu sua falcum acutum gerit, param ad metendum, quæ alia non est, quam mors, qua sensim mortales Christus demetit et ad judicium sui aream ventilandos congregat. Hanc porro falcum Christus ostentat et intentat in hoc. evang. non modo suis discipulis, sed et nobis quoque, cum ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* id est, mortem subire, quam ego subiurus, quasi dicere velit: Quid si ego venero cum falce mea, paratine vos eritis ad eam excipiendo? Alius hic falciger, a priore longe diversus est. Illum omnes desiderant et avide exspectant: hunc pene omnes fugiunt et procul abesse cupiunt. Segetem volunt meti, ipsi nolunt demeti. Sed quæ vobis mens, auditores? Quid si hodie vel cras? Quid si hac vel sequente hebdomade, hoc vel sequente anno veniat ad vos hic messor et immitat in vos falcum suum acutum, ac propinnet vobis calicem suum? Poteritisne bibere illum? An potius refugietis? At nihil illud proderit: *Quo enim a facie tua fugiam?* ait psalmista. Nihil ergo melius, quam ut cum duobus discipulis dicamus: *Possumus,* parati ad tuam falcam excipiendo, ad tuum calicem hauriendum sumus. Hæc si nobis mens perpetuo insideat, lœta nobis et felix erit etiam ista messis. Quam ut consequamur, videamus rationes, cur non formidanda sit.

I. Si loqui possent segetes, existimo dicturas, nequaquam se horrere falcum, sed potius optare. Primo, quia ejus beneficio dicent, liberabimur a vinculo, quo veluti captiæ affigimur his agris. Radix enim nostra terræ nos affigit; falk inde nos liberabit, tam ingrediemur pagos, urbes, horrea, feremur in mensas divitum. Eadem prorsus nostra conditio est. In mundo et in corpore captiæ detinemur, vinculo carnis, necnon patriæ et domicili nostri alligati. E mundo egredi non possumus, nescimus quid extra illum sit, quod tamen mens esse cupit, e patria e domicilio nostro vix modicum egredimur, quin statim revertamur: unde nescimus quid in aliis terris agatur. Summa; uti segetes summis tantum capitibus non nihil hinc inde ventilantur, interim tamen eodem corpore loco hærent: ita et nos in mundo et corpore mortali, quæ aliud non sunt, nisi cancer quidam, de quo liberari desiderabat apostolus ad Philip. I. scribens: *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo:* dissolvi scilicet vinculo, quo anima in hac vita corpori alligatur, quasi luteæ suæ domui. Unde S. Greg. IV. mor. cap. XLI. *Dissolvi,* inquit, *Paulus non quereret, nisi se vincum videret.* Quis autem vincum se agnosceret,

non cupiat solvi et dimitti. « Qui desiderat dis-solvi, inquit S. August. et esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit et delectabiliter moritur. » Ita S. Cypr. audita Valer. imp. contra se lata sententia : « In Thascium Cypri-anum gladio animadvertis placet, » respondit : « Deo gratias, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere » ut in ejus actis. Ita pia quædam domina, (apud collectorem speculi) su-bit lepra plaga fœdissima percussa sortem ejus alii deplorantibus ipsa ridere coepit. Causam ro-gata, respondit : « Si quis detineretur in carcere ea conditione, ut inde non eriperetur donec muri carceris undique corruiissent, nonne si videret muros ad ruinam inclinatos, imo jam paulatim ruentes, gauderet potius quam fleret? » Quare cum anima in corpore velut in carcere cōstricta sit, gaudere omnino debet, quando videt corporis parietes dissolvi et concidere, quando videt mortem fores carceris effringere.

II. Dictræ essent segetes : Per messem libera-bimur a grandi illo periculo internectionis nostræ, quam minatur nobis grando, pruina, locustæ, aliique hostes nostri. Idem nos, si sapimus, sic dicere debemus : Libenter mortem excipiems ut liberemur a peccato, capitali hoste nostro, et peccandi plurimis periculis, perpetua lucta, quam gerimus cum peccato ejusque præsidariis, qui sunt ipsæmet nostræ passiones. « Quid enim, (inquit S. Cypr. tract. de mort.) est in mundo et vita hac nisi pugna cum ira, gula, libidine? Hinc gratulatur sapiens raptum esse justum, ne malitia mutaret intellectum ejus. » Nonne apost. ad Rom. VII. gemit se : « Vænum datum sub peccato, » id est, traditum concupiscentiæ quasi tyran-no? Inde enim exclamat : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus,* h. e. de corpore concupiscentiæ et pravis ejus motibus obno-xio, adeoque moribundo et mortem non corporis tantum sed et animæ sæpe inducente? Imaginare-tibi virum honestum robusto alicui molosso ita alligatum, ut ei semper individuus adhærere de-beat, vel sequi trahentem, quocumque eum libido egerit, vel eumden bertere ut quiescat et sequatur ipse. Videbis igitur molossum illum semper inquietum, hunc illuc currere et virum secum trahere : modo ad rixas aliorum canum cur-re, modo insatiabiliter vorare, modo libidi-nem sequi per omnes urbis plateas, modo ignavum stertere, modo vomere, modo egerere. Quæ-so te, si honestus ille vir in his omnibus molestiis cani illi adesse, illum sequi ac tolerare cogere-tur, nisi continuo cum illo litigare, eum incre-pare, flagris cädere, et vi adhibita ad sua obse-quia trahere velit; quanta hæc molestia foret?

Quis ab isto socio liberari non amaret? Quid aliud est homo, si animam rationalem ei demas, nisi ejusmodi molossum? Huic anima alligata est, hunc sequi, huic assidere debet semper et omnes ejus sordes ac vitia tolerare, cum is edit, cum dormit, cum suas sequitur concupiscentias; nec facile ab his retrahi posset, nisi magna vi adhibita: trahis enim animam fortiter ad suas libidines, easque illi affricat, nisi repellatur et coercedatur. Quis ergo ab hoc inquieto, immundo, rapace, vorace et ignavo cane non querat liberari? Hoc est, quod dicit apostol. Refert S. August. lib. V. contra Ju-lianum ex Arist. « Simili nos affectos esse sup-plico atque eos, qui quondam cum in prædonum Hetruscorum manus incidunt, crudelitate ex-cogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quam ap-tissime colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse coniunctos. » Hinc ergo optabat Paulus solvi a suo corpore, languido, moribundo, et concupis-centiæ subjecto, cuius fœtore anima facillime inficitur, et sæpe ad mortem pertrahitur. Debet enim anima omnes corporis sordes et bestiales cupiditates pati quibus nisi continuo et strenue repugnet, ipsa mox fœtorem peccati contrahit. Tradunt annales Theod. Cedren. Zonar. apud Baron. anno 717. Theodosium IV. imp. deposito imperio clericum factum, et postquam pie vixisset, ita ut post mortem miraculis coruscaret, suo sepulcro epitaphii loco hoc unicum verbum inscribi voluisse : Sanitas, ut videlicet designaret, virum fidem per mortem tantummodo perfec-tam consequi ab animæ passionibus sanitatem. Saltem enim peccatis venialibus inficitur anima ex corporis consortio: si non et mortalibus, ut fit plerumque. Hanc ergo sanitatem apostolus desiderabat, cum morbido ac mortifero illo corpore, quod in peccatis originalis tale nobis datum est, exui et immortali alio indu cu-piebat. « Liberari a corpore mortis, » inquit S. Au-gustinus, lib. I. contra duas epistolas Pelagii, c. XI. est omni sanato languore concupiscentia carnis, non ad peccatum recipere corpus, sed ad gloriam. » Sanctus Ambrosius, lib. de bono mor-tis, cap. IV. ait : « Quid est mors nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio? »

III. Dicerent insuper : Absolvemur hac ratione ab innumeris miseriis, molestiis et cladibus, quibus vexamus et agitamus a tempestatibus, gelu, nive, pruina, pluviis, ventis et ardore solis. Quid enim ab his non patimur? Idem nos fateri debemus, vitam scilicet nostram plenam esse mi-seriis et calamitatibus, multoque plus habere fel-lis, quam mellis : unde Ecclesia. cap. IV. ait :

Laudavi magis mortuos, quam viventes, et felicio-rem utroque judicavi qui neclum natus est, nec vi-dit mala, quæ sub sole sunt. Sic Elias insidios Je-zabelis undique obessus, petivit animæ suæ ut moreretur, dicens : Sufficit mihi Domine, tolle ani-mam meam, III. R^eg. XIX. sic Jeremias propheta-tans suis excidium urbis et gentis suæ, videns que insuper se propterea exosum omnibus fac-tum, maledicit diei nativitatis suæ, Jerem. XX. quia nimur melius reputabat (spectatis solis naturalibus bonus vel malis) non nasci, quam in tantis calamitatibus vivere, prout etiam dixit Ec-clesiast. cap. XXX. Melior est mors, quam vita amara. Si enim anima ingressura corpus, videret omnia mala, que in eo passura est, horret pro-fecto ac diceret : Malo non nasci, quam ad tan-tas miserias nasci. Idque miro quodam ostento demonstratum scribit Plinius, lib. VII. cap. III. quando infans in lucem editus, in uterum protinus reversus est Sagunti, quo anno ab Annibale deleta est; quasi videlicet excidium patriæ sue nollet intueri. Sic Græci illi, qui devictis barba-ris, eorumque spoliis onusti domum revertabantur, cum se jactari viderent magnis tempestati-bus, felices illos vocarunt, qui in acie ceciderunt, melios reputantes in prælio cecidisse, quam tam dira tempesta jactari. Seneca, in Agamemnone. Agnovit hoc et ipse Cicero ethnicus, qui, libr. de oratore ait, viros bonos sapientes, qualis erat Socrates, quasi cyenos cum laude et voluptate mori. Fabulantur enim cynum morientem inter rogatum a eiconia, cur suaviores sonos ederet in morte, quam omnia alia animalia timent, res pondisseque cynum : Quia neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos mortuis extimescam. Dicat hoc moriturus : Cur mortem exhorrescam, quæ finem mihi afferret tot laborum et miseriarum?

IV. Adderent ac hoc : Melius nobis erit deme-sis, quam sic stantibus. Etenim per messem per-demus quidem vitam nostram, sed postmodum sortiemur multo nobiliorem, cum esca hominum facta in ipsis vivere incipiems, et quodammodo homines fieremus. Verissime nos hoc dicimus : Tu quidem, o mors, nos demetes et vita spoliabis, sed ad vitam beatorem hoc ipso nos protrudes, ad vitam immortalem, cœlestem et omni ex parte beatam. Mors enim Christianis, non tam est mors, quam janua et transitus ad vitam. « Hunc transiit, » inquit S. Bernardus, tract. de natura et dignitate divini amoris, ad vitam, miseri infideles mortem appellant, fidelis autem quid nisi pascha, quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo. » Unde quidam dixit, mortem esse ludum Christianorum. Illi enim post Christum illudere

possunt morti, juxta id Osee XV. (ex versione Septuaginta interpret. uti citat apostol. I. Cor. XV.) *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* Sed hoc verum est in iis, qui in statu gratia sunt; alioquin enim stimulus mortis pec-catum est, ut subdit ibidem Paulus. Ergo qui pec-cato vacat, ludere cum morte potest, veluti cum ape aut scorpione, qui stimulus non habet, quo vulneret. Audi horum aliquos. S. Chrysost. in epist. ad Philip. cap. I. « Nihil, inquit, molestiæ inferent, qui me occident, eo quod ad vitam meam me dimittent et promovebunt, et ab ista non admodum commoda liberabunt : » S. Cy-prian. tract. de mortalit. « Amplexamur, inquit, diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos hinc erectos et laqueis sacerularibus exsolutos paradiso restituit et regno cœlesti. » Non ita pri-dem anno videlicet 1611. discessit ex hac vita mense novembr. hodierni Francorum reg. Ludov. XIII. frater, puerulus annorum quatuor, dux Aurelianensis, indolis eximiæ : qui in illa ætatu, dum morbo affligeretur, oculis continuo ad colum elevatis, circumstantes pariter ad ejus contemplationem hortabantur, felicesque illos prædicabat, qui ibi habitarent? Henric. Spondanus, in auctor. chronol. Baronii 1611. Denique, et S. Ja-cobus apostolus ad supplicium ductus, illum osculatus est, qui eum ad tribunal duxerat? Quod etiam fecit B. Thomas Morus, qui pro defensione fidei plectendus, carnifici de more veniam petenti et osculum, unaque aureum angelotum dedit, dicens : *Tu mihi hodie præstabis, quod hactenus nemo mortalium mihi præstítit, aut præstabit, ut alias dixi.*

V. Possent dicere : Minime sibi molestum esse, demeti ac cœdi; hoc enim sibi profuturum, ut cum fœnore resurgent, quando sparso earum se-mine segetes novæ pullulabunt. Hoc idem nos co-gitemus. Cadit corpus mortale, resurget immor-tale : cadit ærumnosum, resurget gliosum. Propterea Christianorum mors a Christo, apostolo et Christianorum recepto more, vocatur somnus tantum. Hos alloquitur ore propheticæ Deus, Isa. XXVI. cum ait : *Vade populus meus, intra in cubi-cula tua, clade ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum:* in cubicula videlicet mor-tis, ad captandum somnum. In cœmeteria seu dormitoria ducuntur sepulcra Christianorum : suo ergo tempore rursum evigilabunt. Recte in quis, sed non sine difficultate magna corpus hoc exiuit: quare sciendum, corpus hoc mortale vestimentum animæ esse fragile et obsoletum, quo exui debemus, si novo et incorruptibili volu-mus vestiri. Illic apostolus, I. Corinth. XV. *Opor-tet, inquit, corruptibile hoc induere incorrup-tio-*

CONCIO V.

nem. Quis nos libenter exuet vestem illam veterem, ut hac nova induatur? Quam alacriter mutavit pauper ille mendicus laceros suos centones, eum splendida veste S. Ignatii Loyola ab eo sibi oblata? Deus offert nobis vestem gloriae, pro centone corporis nostri. Non libenter permutabimus? Domine, orabat S. Gregorius Nazianzenus, solve hanc tunicam ita mihi gravem et ponderosam, et da mihi levorem. Cum sartor scindit pannum holosericum, pro sarcenda tibi veste, nequaquam ei resistis, minime indignaris. Ac si dicat aliquis: Cur tu sinis scindi pannum tam pretiosum? Respondebis tu: Non me hoc contristat, quoniam ha scissuræ vestem mihi dabunt longe splendidorem, quam sit pannus. Idem dic in proposito? Corpus tuum pannus est, sed nequaquam sat idoneus et splendidus. Scindi ergo debet, ut præbeat tibi vestem gloriosam et incorruptibilem. Scinditur per mortem, sarcetur autem in resurrectione mortuorum. Annon oportuit corpus Christi ita prius scindi et fœde lacerari, ut vestiretur gloria in resurrectione? Audi loquenter ipsum per os prophetæ, Psalm. XXIX. *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* Saccus est vestis lugubris et tale hoc est corpus, quod ubi scissum fuerit, transbit in vestem gloriae, que non disceduntur, unde subditur in Psalmo: *Ut cantet tibi gloria mea et non compungar* (seu succidat), q. d. deinceps non pungar neque scindar amplius mortis aculeo vel forcipe.

Priscus Christianorum mos fuit, ut in suis sepulcris Danielem in lacu inter leones stantem sculperent, eo quod ipse e lacu inter leonum liber et incolumis egrediens, quasi ideam hominis a sepulcro resurgentis expresserit, teste Baronio, in martyrol. die 21. juli. Quod ergo est Daniel in leonum lacu, hoo Christianus in sepulcro: non enim consumetur a morte, cui jam olim dentes excusuit Christus juxta id: *Morsus tuus ero inferne: sed cum majori gloria et lacu et umbra mortis eripietur aliquando, quemadmodum et Daniel maxima sua gloria extractus est e lacu.*

ONCIO V.

CUR ALQUI RENUANT BIBERE CALICEM DOMINI, SEU TRIBULATIONIS: RESELLUNTUR QUERELE.

- I. Putabant sibi non deberi. — II. Sibi soli exauriendum. — III. Nimis esse amarum. — IV. Nimis magnum. — V. Non propinari a quibus deberet. — VI. Esse novum et insperatum.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?
Matth. XX.

Genesis XLIV. legimus Josephum præcepisse dispensatori, ut fratibus a se discedentibus, (quibus tamen nondum agnitus fuit) in sacco Benjamini sibi charissimi, poneret scyphum argenteum, in quo augurari soleret: et postmodum eos insequeretur, tamquam furti reos, qui scyphum Domini abstulissent. Factum ut imperatum, et invenitur scyphus in sacco Benjamini. Reducuntur ergo ad Josephum fratres, et ibi aliquamdiu asperius tractantur, sed ad speciem tantum et in bonum eorum: tandem enim a Josepho, se prodente, amicissime accipiuntur amplexibus et osculis, præsertim vero Benjaminus. Quo Iudei Josephi magnum aliquid indicatum esse vult S. Augustinus, videlicet, Deum hoc agere cum dilectis et servis suis. Illi enim scyphum passionis suæ clam quadammodo, et inadvertenter immitit, eosque per illum affigit et angit aliquamdiu, atque ita in eo auguratur quasi utrum vere ipsum diligent. Sed paulo post afflictionem illam, tanto majori consolatione compensat, et amicissime amplectitur, quos prius dure tractasse videbatur, velut alienos et reos. Hoc certe Christus fecit in hodierno evangelio duobus sibi charissimis discipulis, quibus ad dexteram ejus sedere cupientibus, calicem passionis suæ proponit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et certe etiam exhibuit illis hauriendum, quando Jacobus variis Judæorum persecutionibus vexatus, tandem ab Herode occisus: Joannes in dolium ferventis olei immissus, et in Patmos relegatus, calicem venenatum bibere, licet absque læsione, compulsus est; sed tandem principes cœli eos fecit. Id quod etiamnum omnibus servis suis facit et spiritualem hunc ludum cum ipsis ludit. Omnes enim qui ad gloriam contendimus, interrogat: *Potestis bibere calicem, etc.* omnibus eum propinat. Sed illud est dolendum, quod tam pauci reperiantur adeo animosi, ut cum Joanne et Jacobo respondeant et dicant: *Possumus.* Plures tergiversantur, horrent, excusant. Qui certo sibi persuadeant, se a vero Josepho Christo nequaquam ami-

IN FESTO SANCTI JACOBI.

ce excipiendos et neque ad dexteram ejus, neque ad sinistram colloquendos. Audiamus igitur qualiter se excusat, et contra replicemus.

I. Alii recusant calicem tribulationis, quia putant sibi eum non deberi, nec se commeruisse ut ebibant. Sed mirum est, quod hoc ausint dicere. Solent aliquando convivantes pro pœna statuere, ut qui, v. g. pileum deponit versus socium, calicem vini ebat. Tunc forte unus illorum sui oblitus, pileum aliquantum levat, etsi non omnino deponit. Conclamat ut bibat, alter renuit, quia non omnino deposuerit: sed replicant socii, jam attentasse eum deponere, et libere cogit. Ad hunc modum statuta est lex a Deo, ut ordinarie quidem, tantum is, qui peccat, adeoque cultum exhibet creaturæ, quem creatori exhibere debebat; pro pœna calicem tribulationis ebat. Sic enim Gen. IV. statuit Deus, cum ad Cain ait: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit?* id est, peccati pœna. Quicumque ergo peccaverit, debet bibere. Quis autem non deponit aliquando pileum et peccat? Sed quid si aliquis dicat, se non deposuisse pileum, id est, non peccasse? Respondeo mirum esse, quod quis se prorsus innocentem putet, nec quidquam commisso præsenti calamitate dignum. Audi potius Moysen, qui dixit ad Deum, Exod. XXXIV. *Nullus apud te per se innocens est,* Heb. habetur *naca*, quod significat innocentem esse, et impunitum esse, q. d. nullus apud te innocens et consequenter impunitus erit. Adit vero, per se, quia tametsi a Dei gratia præserveris a peccato, quemadmodum B. Virgo a peccato originali, id tamen Dei gratia, non tibi debes adscribere. Itaque licet pileum non omnino deposueris, attentasti saepius tamen, et nisi Deus impedisset, deposuerisses: ac proinde ex hoc capite teneris acceptare calicem tribulationis. Deinde, ex alio capite, quia nimurum Christus eum tibi propinavit tamquam utilem et necessariam potionem. Quid commeruit Christus, ut tam amarum eberet calicem? Nihil prorsus. Quando erat eum tibi propinavit, ut pro modulo tuo rescripsit, juxta id I. Petr. II. *Christus passus est cem a me, vobis relinques exemplum, ut sequamini toties per eum, qui peccatum non fecit, nec inventus cepit per eum in ore ejus;* propter te hoc fecit, quia te immitio, ut otiose hac egere. Quanta hæc medici nosresupinet, ut potionem ipse bibat sibi non neminem illam, tantum ut nobis eam persuadeat? Ad capit. I. *rit dominum, sive non merueris? Annon aliqui convivunt manu, et ulti interdum deponunt pileum, ut bipossint? Vel bibunt aliis ex poculis, etiam ci te possint? Similiter annon merueris quam bistradicte?*

VI. PARS FESTIVALIS.

bere ex merito? Nam tu in cruce latronis pendere malles, quam in cruce Christi: consoletur te conscientiae bona testimonium, a quo solarium petebat Socrates, quando innocens condemnatus et venenum bibitur, ploranti uxori dicentique: « Mi vir, innocens morieris, respondit: Quid? Num me nocentem malles mori? » Ergo: « Et tu e duobus elige quod velis, inquit S. Hier. in ep. ad Blesillam, aut sancta es, et probaris; aut peccatrix, et injuste quereris, minor sustinens, quar merearis. »

II. Alii recusant, quia existimant sibi soli exauriendum, sed falluntur. Omnes enim tangit illa sententia, Gen. III. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas et tribulos germinabit tibi, in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* « Hujus enim sententia vinculo, (inquit) Cyprian. k. de bono patientiæ, colligati omnes et constricti sumus, donec expuncta morte de isto sæculo recedamus: » et rursum: « Unusquisque nostrum cum nascitur et hospitio mundi hujus excipitur, initium sumit a lacrymis, etc. » Quinam enim putas calicem hunc non bibunt? Num reges et principes? Atqui Antigon. rex filio dicebat: *An ignoras regiam, splendidam esse servitatem?* Et: *Si quis nosset, quantis malis diadema esset refertum, ne humi quidem jacens tolleret.* Num divites? Atqui divitiae a Domino spinæ vocantur, quia scilicet pungant innumeris curarum aculeis et animum exulerant, et ut rosæ spinis; sic divites insidiis, detractionibus, calumniis, etc. obsidentur. Num sceleratos et cupiditatibus suis obsequentes? Atqui etiam voluptates a Domino spinæ vocantur, quia conscientiam perpetuo pungunt: *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, inquit August. in Psalm. XLV. nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum.* Et hanc nunquam effugient flagitosi; quia undique secum circumferunt, et vermem intus rodentes alunt, ut pomum, licet extra non appareat. Num eos, qui extincto conscientiae verme nihil amplius sentiunt? Atqui illi calicem tribulationis etiam bibunt, tametsi ebrios instar amarorem ejus modo non sentiunt. Sentient eum aliquando cum crapulam edormierint: sed sero nimis, et tunc vermis eorum non morietur. Etsi modo in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur, flagellabuntur ibi cum dæmonibus, ut S. Bern. ait. Num justos et sanctos? Atqui nec isti calice suo parent. Omnes Christi discipuli calicem passionis biberunt, licet amici ejus intimi essent: sed habent illum lucri et emolumenti plenum. Quod si ita est, inquis, qui fit, ut quandoque nihil pati videantur, sed semper læti appearant? Resp. primo, quia

CONCIO V.

prudentes sunt et vere patientes, dissimulare non runt, ac premere animi ægritudinem, sicut Aod, Jud. III, qui utraque manu præ dextera utabantur. Ita illi adversis utuntur ut prosperis, utroque constantes et infracti, quare hoc merentur, ut Deus subinde recreet eos consolationibus. Deinde, non tuo more se solos credunt miseros, sed alios quoque meditantur malis exerceri, proinde ut Demosthenes, quo facile ferret perorando auditorum strepitus, quandoque declamabat circa littus maris. Vident se ubique habere malorum socios, et aiunt: Mecum Abel occiditur a fratre, mecum Loth vexatur a civibus, mecum Agar ejicitur a domina, mecum Jacob patitur famem, mecum Ezechias ægrotat ad mortem, visu orbatur Tobias, Job filii et bonis, exultat Elias, secatur Isaías, in mare præcipitator Jonas, lapilatur Stephanus, decollatur Baptista, mecum liberos non suscepit Alexander Magnus, mecum degeneres patitur Adam, Noe David, etc. imo mecum etiam Christus ipse calicem hunc exhaustus: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Luc. ult. Quando ergo omnes quotquot in mensa hujus mundi sederunt, hunc calicem eibere debuerunt, et eibent quotquot sedebunt: quid tu tergiversaris? Audi Jerem. cap. XLIX. *Hæc dicit Dominus, inquit, ecce quibus non erat iudicium ut liberen calicem, bibentes bibent* (id est, certissime bibent) *et tu quasi innocens relinquenter? Bibit Paulus, bibit Petrus, bibit Baptista, bibit sub cruce Deipara, bibit ipse Christus; tu non bibes?*

III. Alii nolunt bibere, quia nimis fortis vel amarus eis videtur et magis multo, quam sit calix aliorum; sed et hi falluntur, et hoc ideo sibi persuadent, qui non illorum calicem sed suum tantum degustant, non permutatur sane, si alienum etiam degustassent. Quemadmodum qui aliquo vehementi dolore, v. g. dentium aut oculorum aguntur, nullum existimant in mundo tanta pati. Nihil majus tibi perire potest, quam divina gratia, quæ nihilominus ad ostium stat et pulsat, parata intrare, si ostium ei aperuerit.

Amissam vitam, valetudinem, uxorem, liberos, amicos, membra, visum possessiones, etc. Deus tibi restituet in æternum vel melius communis. Palam hoc profitebatur et inde se consolabatur adolescens ille fortissimus, qui in martyrio ad Antiochum dicebat, linguam ad amputandum cito proferens et manus extendens: *E celo ista posdeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero,* II. Macchab. VII. quamquam et in vita sëpe restituit ista Deus cum fœnore; quemadmodum S. Jobo. Quæ tibi non sufficient; cogita Christum calicem onge amariorem et fortioris vini propter te ex-

hausisse, quid si tibi infunderetur, melleum di- ceras tuum. Quid non mororis et horris in illo calice erat? Sane ejus solo aspectu concussus Dominus, sanguinem sudavit: et tamen post triduum ei omnia abunde restituta sunt. Hunc igitur si contempseris, dices: *Magna, o Domine, fuit sicut mare contritio tua: mihi vix guttam præbes.*

Præterea quo amarior calix, eo indicium majoris Spiritus sancti roboris. Non enim erat Deus in bove et asino, quod ipse vetuit, id est, non idem onus imponit imbecillo, et forti: vel si imponit tanto plus addit roboris, ut sustineri queat.

Denique, quo amarior eo et salubrior, sicut absinthium, amarum quidem est, purgat tamen intestina, cum contra bilem augeat mel dulce. Quare: *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habeat*, ait S. Jacobus, in ep. sua, cap. I.

IV. Alli dum bibunt, tandem pertensi fiunt, quod nimirum si capax, et fundo seu fine carerè videatur eorum calix; sed facit sola impatientia, ut perenne videatur malum quodcumque paulo est diuturnius. Sane ut velles ac conareris, non posses in hac vita semper esse miser, ubi inter nubilos aliquis semper serenus intermitat dies. Novit Deus medicus tuus optimus quanti temporis cura tibi debeatur, et postmodum te reviset ac sublevabit, ut ergo animæ in purgatorio, infirmi in cura vel thermis tempus præstitutum a medico patienter explent, quia hoc ad sanitatem eorum necessarium indicat medicus: quanto magis hoc expectandum Deo medico animarum certissimo? Ipse numerat dies curæ nostræ, sicut Christus numeravit dies toleratae famis sequentium se ad desertum: *Ecce tam triduo sustinuerit me, nec habent quod manducent.* Et licet tota vita nostra duraret calix tribulationis, quid tum? Nonne etiam Christus tota vita sua calicem passionis suæ bibit? Nonne cum ter Patrem rogasset, ut auferretur ab eo, nihil tamen impetravit.

Tota Christi vita crux fuit et amara potio, quia semper ante oculos ejus versabatur ille calix, quem bibitur erat: semper a longe aspergit suam crucem. Unde in vita toties ejus mentionem fecit, ut in hodierno evangelio et paulo ante: *Ecce ascendimus Jerosolymam et Filius hominis tradetur, etc. et alibi: Baptismo habeo baptizari, etc.* Quæ aurem tibi foret mens, si tu prævideres certo te tandem in crucem esse agendum? Num aliquando vere lætari aut ridere posses? Nam quod dicitur: *Jacula prævisa minus feriunt, de illis verum tantum est, quæ vel ex toto vel saltē*

IN FESTO SANCTI JACOBI.

ex parte evitari possunt. Sciebat autem Christum crucem sibi inevitabilem, unde tanto plus angustiabatur.

Deinde, licet tota vita ad fundum tui calicis non pervenires: quid vita præsens, respectu æternæ, nisi forte dies una? Unde cogita tibi cum latrone dici, Luc. XXIII. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Compara etiam calicem hujus vitæ cum calice damnatorum, et minimum esse reperies, quia ibi divinæ justitiæ: *Calix in manu Domini vini meri* (id est, pœnarum sine solatio) plenus mixto (id est, variorum generum:) et inclinavit ex hoc in hoc, (id est, de tormento uno ad aliud transfert damnos) veruntamen *fax ejus non est exinanita.* Imo compara eum tantum cum calice purgatoriæ, et invenies valde exiguum.

Cantipratanos, lib. II. de apibus, refert de ægro quadam, qui integrum annum affixus lecto jacebat, pertesus itaque cum multis lacrymis orabat ut Deus tolleret eum de mundo. Unde apparuit ei angelus dicens: *Exaudiuit Deus orationem tuum.* Duorum tibi optio datur, ut post unius adhuc anni morbum recta ad cœlum cuoles vel post tridui purgatorium. Eger tridui tantum tempus expendens et cum anno componens, non vero pœnas utriusque afflictionis, triduum elegit, præ annuo lecto. Obit ergo et ad purgatorium delatus, ubi post unum diem angelus ad eum reversus rogavit, quomodo haberet, ille: « O impostor (respondebit) non angele, triduum mihi pollicitus, et jam fere centum anni sunt. » Respondit angelus: « Unum hic diem moratus es, nam necdum tumultatum est corpus tuum: pœnarum gravitas tempora tibi extendit. Quare jam secundum elige aut quod restat biduum, aut annum decubitum. » Ad hoc alter: « Ad extreum usque iudicii diem malo morbo quam hic uno adhuc die doloribus affligi. » Atque ita revixit et narrans, quæ sibi acciderant, multos ad pœnitentiam perduxit. Lapsus anno iterum mortuus ad cœlum abiit.

V. Alli recusant, quia a certis personis eis propinatur, a quibus acceptare enim nolunt. Sed scire debent isti originaliter propinari sibi calicem a Deo licet non semper per ipsum, sed multoties per alios exhibeant. Quanto ergo tibi princeps proculum propinaret, quid refert utrum ipse immediate, an per alium tibi id traderet? An tu respueres velles, si internuntio qualicumque tandem ille uteretur, non arbitror. Atqui Amos dixit capit. III. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus!* Calicem igitur tribulationis, ut a manu Dei suscipe, non ut a manu internuntii. Sic enim et suum suscepit a Patre Christus. Amici te persecuntur? Christus etiam a discipulo traditus est. A servis molestaris? Christus etiam

per manus angeli servi sui se cohortantis, accepit calicem suum. Ab impiis et inimicis injurias? Et Christo imposuere crucem impii, scelerati et hostes. Ab ipso dæmon eisque caterva damnum accipis? Et etiam dæmon instigavit Iudeos, ut Christum occiderent: et ut gravius torquerent, nova excogitavit et inspiravit tormentorum genera. Bene sciebat Job a dæmon sibi illata esse damna, non tamen unquam dixit: *Diabolus hoc abstulit; sed: Dominus dedit, Dominus abstulit.* Similiter et Petro Christus dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Joan. XVIII. Non dixit: *Calicem quem dedit mihi Judas, vel Pilatus, vel seniores et pontifices probe sciens, hos omnes non esse aliud, nisi veluti pincernas et pocillatores, qui calicem ipsi porrigerent et quod ipsi ex labore facerent, Pater æternus ad remedium ordinaret generis humani.*

VI. Alii recusant, quis novus et insuperatus eis obvenit calix, sicut interdum convivia alia cogitantes, de repente reperit ante se calicem, nesciens a quo et propinatus et oblatus sit, ideoque respuere eum conatur; sed nihil proficit, attendere debebat, et poculum aliquod semper sperare, quia in compotationibus nemo diu vacare a poculo solet. Similiter nemo miretur, si insperata eum reperit tribulatio. Sedemus enim in valle lacrimarum, et in mensa tribulationum, ubi nihil certius et citius occurtere solet, quam tribulatio, semper enim prosperis succedunt adversa et contra. Quod advertit Philippus Macedo, qui cum audisset tria sibi feliciter eodem die contigisse: *se quadrigis vicisse Olympia, Parmenionem exercitus ducem bello fregisse Dardanos, natum sibi ex Olympia uxore masculum; sublati ad cœlum manibus: O dæmon, inquit, mediocri hæc aiges repende clade,* Plut. I. de consol. Similiter expecta et tu venientia et undique te observantia inferuntia.

Dicito ergo cum Davide: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo,* id est, calicem tribulationis salutiferum accipiam, et eum exaurire queam: *Nomen Domini invocabo,* Psal. CVV

CONCIO VI.

DOCUMENTA.

I. Voluntas propria fugienda. — II. Honores non ambiendi. — III. Honorum candidati examinandi. — IV. Non promovendi propinquii.

THEMA.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ejus. Matth. XX.

Leonis I. imp. dictum celebratur: « Quemadmodum sol cunctis, quæ illustrat, non nihil impertit calor, sic princeps debet eos dignari sua misericordia quos contuetur. » Fecit sane lux princeps noster Christus, qui cum esset lux mundi, omnibus ad se accedentibus gratia sua calorem, et lumen intelligentiae liberalissime imperavit. Accessit ante paucos dies ad eum Magdalena, et calorem gratiae ab eo reportavit: accessit in hodierno evangelio mater filiorum Zebedæi, et lumine intellectus ab eodem illustrata est. Accedamus igitur et nos auditores ad solem mundi: scriptum est enim Psal. XXXIII. *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur,* id est, non patientur repulsam.

I. Discimus, fugere et aversari propriam voluntatem, quia vult plerumque vel noxia sibi vel inutilia. Sed unde istud discimus? A filiis Zebedæi, qui ut scribit S. Marcus, capit. X. his verbis proposuerunt Christo petitionem suam: *Magister voluntus ut quodcumque petierimus facias nobis.* Quibus Dominus: *Quid vultis ut faciam vobis?*

Propria voluntas est illa, quæ dicit: Volo Domine, ut facias mihi quodcumque petiero: at cui respondet Dominus: Quid vis ut faciam tibi? Voluntas vero Deo resignata dicit cum Saulo: *Domine quid me vis facere?* Recte vero propria voluntati respondet: Nescis quid petas. Quid enim ea petit, nisi quæ sibi noxia sunt? Dum enim conatur satisfacere propriis motibus, semetipsam permit, et gehennam sibi in altero saeculo accedit. Marius unus e triginta tyrannis, qui imperium invaserant, uno die factus est imperator, tertio imperavit, tertio interemptus est a gregario milite, qui adorans eum sic, dicebat: *Hic est gladius, quem ipse fecisti;* Marius enim ad imperium e cultariori officina pervenerat, et illius militis opera in fabrili opere usus fuerat, Trebellius Pollio, de tringita tyrannis. Ergo dum hic imperium sibi rapuit, revera gladium sibi ipsi eudit. Idem facit propria voluntas, suo se gladio jugulat, dum ea, quæ sibi et non qua Deo placent, eligit et rapit. Unde merito audit: *Nescis quid petas:* hic est gladius, quem ipse fecisti: hoc voluisti, hoc petisti, quod tibi nunc in perniciem cedit.

Imo Sanctus Bernardus, serm. III. de resurrectione Domini, nihil Deum odisse aut punire ait præter propriam voluntatem: *Cesset voluntas propria, inquit, et infernus non erit. In quem enim ignis ille deserviet, nisi in propriam voluntatem.* Quæ sententia Bernardi per hanc apologum belle explicatur. Fertur aliquando fax huminum, latronum, furum et similium ampla societas supplices libellos porrexisse judicibus, quibus eos rogabat, ut furcas et patibula, rotas et theatra plectendorum, veluti rem fœdam, ante urbes, amolirent vel everterent, parcendum esse oculis et naribus transeuntium viatorum. Quibus responsum a magistratu: « Siquidem ipsi cupiant hæc supplicia amota, et morem plectendi abrogatum; prius ipsi abrogent furta et morem furandi ac latrocinandi: cessatura statim ea supplicia, ubi cessaverint ipsi scelesti agere. » Hic e furum medio unus audacior: « Venerabiles domini, inquit, nos furorum et rapinarum auctores minime sumus: quod ergo nos non adinvenimus, non etiam abrogabimus. » « Bene est, (inquit iudices) neque nos, o viri, patibula excogitavimus, quare nec abolebimus. » Primos nostros parentes in furto deprehensos scimus; hinc omnium scelerum origo; neconon penarum et inferni. Nos jam eorum posteri quoties lamentamur, quoties conquerimur puniri nos a Deo, et insuper in altero saeculo metuimus infernum?

Quoties optamus, quodammodo supplices Deo dicimus: Ut quid Domine parasti infernum? Cur non e medio eum tollis, cur opus manuum tuarum eo punire vis? Fœdum et abominabile est hoc in universo spectaculum. Respondit nobis Deus optimo jure: Cessent peccata vestra, et cessabit gehenna. Sed nos iterum objicimus: Non, o Domine, scelerum primi auctores non sumus: peccavit dudum ante nos protoplastus et diabolus. Respondet iterum Deus: Neque ego infernum primus adinveni, sed superbia et inobedientia aliaque scelera: quæ quamdiu stabunt, tamdiu stabit gehenna. Vultis autem scire modum aliquem extinguendi orcum? Audite præconem meum Bernardum: *Cessat voluntas propria et infernus non erit.*

Rationem porro idem sanctus subjicit: « Primo namque, ait, seipsam (voluntas propria) subtrahit et subducit ejus dominati, cui tamquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac injuria? Addit adhuc, et quod in se est: omnia quoque quæ Dei sunt, tollit et diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum luxuriarum conaretur universum, si non deesset possi-

bilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere, sed utinam vel rebus istis esset contenta, nec in ipsum (horribile dictu) deserviret rectorem. Nunc autem et ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quia quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem aut injustum esse aut insipientem. » Hæc Bernardus.

Quid miremur ergo vel querimur infernum esse paratum propria voluntati? Tollat hanc in se unusquisque, et sustulit infernum vel saltem inferni sedem, sibi alioqui paratam. Sane Deus noster nihil magis desiderat, quam claudere infernum, sicut mater projicere in fornacem baculos et virgas. At si videat contumaces liberos nulla ratione acquiescere et sibi acquiescere velle, depromit vel invita baculos et virgas ad plectendam contumaciam.

II. Discimus, non ambiendo honores et dignitates. Audimus enim dici discipulis ad honores aspirantibus: *Nescitis quid petatis.* M. Cicero de petit. consul. narrat sibi consulatum petenti suggestum fuisse a Q. Cicerone, ut quotidie fere ad forum descendens hoc ruminaret: *Novus sum, consulatum peto, Roma est.* Tria hæc cogitat etiam Christianus, qui vel ad hujus saeculi vel ad cœli honores aspirat.

Primum: *Novus sum, in solo, non in sole natus, plebeius sum, juvenis et imperitus, me ipsum regere nescio; et alios regere volo, nobilibus, veterani, eruditis imperare; terra sum et cœlum peto?*

Secundum: *Consulatum peto, dignitatem arduam, onerosam, laboriosam, periculosam, inviolosam peto?* Honores et rumulos hominum vanos, mendaces et momentaneos peto? Cœlum et gloriam eternam peto, in qua cum Deo eternum regnum?

Tertium: *Roma est, civis Romanus et vir fortis ac magnorum meritorum esse debet, qui episcopatum, qui consulatum, qui cœlum, quod vim patitur et a violentis tantum rapitur, ambit.* Multi in hac mundi urbe sunt, te longe meliores, sapientiores, digniores, habebis multos æmulos, multos obtrectatores, Deum denique severum judicem, si indignus dignitatem ambieris, indigne ebieris. Hoc ergo Christi verbo instructi viri sancti tanto conatu fugerunt honores, quanto eos alii querere solent. Talis S. Ambrosius qui populi voce Mediolanensis episcopus postulatus, noctu aufugit ex urbe, imo adulterum et sanguini-

narium se simulavit: S. Augustinus, qui cognita sui episcopi morte, et ipse aufugit ab urbe, idem serm. XXV. ad fratres in eremo scribit: « Usque adeo timebam episcopatum, ut quoniam cœperat jam alicujus esse momenti inter servos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, ne illo accederem, caverem: et hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili salvarer, ne in alio periclitarer. » Sanctus Gregorius, qui electus in pontificem, non tantum fugit, sed etiam ad Mauritium imperator. scripsit, rogans, ne consentiret sua electioni: Sanctus Chrysostomus episcopatum metuens in soliditudinem secessit: Sanctus Martinus, teste Sulpitio, ne diaconatum quidem suscipere voluit, nedum episcopatum, nisi coactus: Sanctus Malachias, ut in ejus vita scribit S. Bernardus, nisi episcopi congregati illi anathema comminati fuissent, non acceptasset episcopatum: Sanctus Ammon monachus aurem sibi præcedit ne fieret episcopus, quem tamen nihilominus in episcopum ordinavit Timotheus episcopus Alexandrinus, dicebat enim: *Ergo si dederitis mihi aliquem etiam manibus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo episcopum facere.* Pallad. in Lausiac. capite XXII. Nilammon monachus in Geris vitam in domuncula lapidibus obserata ducens, mortem a Deo petiit, et impetravit ne illius urbis episcopus fieret. Cum enim a Sancto Theophilo episcopo Alexandrino, et populo urbis ad hoc urgeretur, isque sæpius recusaret, re dilata in crastinum, et Theophilo petente ut fores aperiret: *Oremus primum,* inquit ille; et inter orandum vita functus est, Sozomenes, apud Baron. anno 403.

Eamdem mortem obtinuit a Deo S. Goar, cum a Sigeberto Francorum rege postulatus esset Trevirorum episcopus, ut in ejus vita. Idem suo modo dicendum de sacerdotio, quod diximus de episcopatu. Bene enim dixit Leo imperat. Lib. XXI. capit. de epis. et cleric. *Indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitatus.*

III. Discimus, honorum candidatos, præsertim ecclesiasticorum, priusquam promoveantur, bene examinando esse, an digni sint et apti, juxta exemplum Christi filios Zebedæi ita examinantur: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismum, quo ego baptizor, baptizari?*

Bene ergo de Christo prophetavit Malachias, cap. III. *Ipsi quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum; et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.*

Hoc enim facit Christus in Ecclesia per sedulos episcopos, qui non nisi post exactum exame-